



**S. Caecilii Cypriani Carthaginiensis Episcopi, Totivs
Africae Primatis Et Gloriosissimi Martyris Opera**

Cyprianus, Thascius Caecilius <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1617

XI. Ad Martyres & confessores qui petierant Lapsis pacem dari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80176](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80176)

10 illud: quia me ut Dominus iubet, *Camb. habet & Manus. cum Morel. Afflig. cum ceteris*, quam Dominus iubet.

19. ut interim prohibeatur offerre] *En suspensionem, quam vocamus, à Divinis antiquis usitatum.*

20. recolligi ceperimus] *Quamquam hoc loco Afflig. & Dun. codices, Manus. quoque & Morel. legant: colligi, quia tamen Epistola proxima vocem, recolligi, retinent omnes, ego hic quoque illam retinere malui, præsertim quoniam Camb. codex illam habet.*

21. & ad plebem litteras feci] *Ex eodem cod. Camb. Ep. Epistola sequenti hac lectio confirmatur pro eo quod prius erat: & apud plebem: habes autem has epistolas huic subiunctas.*

AD MARTYRES ET CONFESSORES, qui lapsi petierant pacem dari.

EPISTOLA XI.

Argumentum huius Epistolæ habes infra Epistola xv. in hæc verba. *Cum comperissem eos qui sacrilegi contatibus manus suas atq. ora maculassent vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluisent, ex ambire ad Martyres passim, confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine discrimine & examine singulorum darentur libellorum milia contra Evangelii legem, litteras feci, quibus martyres & confessores consilio meo, quantum possem, ad Dominicæ præcepta revocarem.*

CYPRIANVS MARTYRIBVS ET
confessoribus carissimis fratribus salu-
larem.

Lib. 3. ep. 15. Sollicitudo loci nostri, & timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi martyres, admonere vos litteris nostris, ut à quibus tam deuote & fortiter seruatur fides Domino, ab iisdem lex quoque & disciplina Domini referretur, nam cum omnes milites Christi custodire oporteat præcepta imperatoris sui, tum vos magis præceptis eius obtemperare plus conuenit, qui exemplum ceteris facti estis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem presbyteros & diaconos, qui illic præsentibus sunt, monere vos & instruere plenissime circa euangelij legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent: sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illis vobis non suggeri diuina præcepta, sed adhuc potius impediri, ut ea quæ vobis ipsi & circa Deum caute & circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, à quibusdā presbyteris resoluantur, qui nec timorem Dei, nec episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra & quibusdā lapsi pacem dari postulastis, cum persecutione finita conuenire in vnum cum clero & recolligi ceperimus. Illi contra euangelij legem contra vestram quoque honorificam petitionem ante actam penitentiam, ante exomologesin grauissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & clero in penitentiam impositam, offerre lapsi pacem & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant; cum scriptum sit: *Qui edierit panem, aut biberit calicem Domini indignus, eius erit Corporis & sanguinis Domini.* Et lapsi quidem potest in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus viuificari properet? Quis non ad salutem suam venire festinet? Sed præpositum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ouium pastores esse debent, laui fiant. *4. Ea enim concedere, quæ in perniciem veniant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque discant, quod docere debuerant. Petitiones & desideria vestra Episcopo seruent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent. Ante, à domino pacem mater prior sumat, tunc secundum vestra desideria de filiorum pace tractetur. Et quoniam audio fortissimi & carissimi fratres impudentia vos quorundam premi, & verecundiam vestram pati, oro vos quibus possum precibus, ut Euangelij memores, & considerantes, quæ & qualia in præteri-*

i. Cor. II.

Matth. 7.

tum antecessores vestri martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque solliciti & caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini, & cum illo postmodum iudicari, inspicieris, & actum, & opera, & merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte & indigne vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat. Visitemur enim & castigamur frequenter, & ut in nobis Domini mandata incorrupta & inuiolata permaneant, admonemur; quod quidem nec illic apud vos cessare cognosco, quo minus plurimos quoque ex vobis instruat ad Ecclesiæ disciplinam diuina censura. Hoc autem totum potest fieri, si ea quæ à vobis petuntur, ne facile tribuantur, religiosa contemplatione moderemini; intelligentes & complices eos, qui personas accipientes, in beneficiis vestitis, aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur. De hoc & ad clerum & plebem litteras feci, quas vtraque vobis legi mandavi. Sed & illud ad diligentiam vestram redigere & emendare debetis, ut nominatim designetis eos quibus pacem dari desideratis: *10. audio enim quibusdā sic libellos fieri, ut dicatur: Communice ille cum suis, quod nunquam omnino à martyribus factum est, 11. ut in cæca & cæca petitiō inuidiam nobis postmodum cumulet: late enim patet quando dicitur: ille cum suis, & possunt nobis vicini & trices, & amplius offerri, qui propinqui & affines, & liberti ac domestici esse asseuerenter eius, qui accipit libellum, & ideo peto, ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum penitentiam satisfactioni proximam conspiciatis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. Opto vos fratres fortissimi ac dilectissimi in Domino semper bene valere, & nostri meminisse. Valere.*

ADNOTATIONES IN EPIST. XI.

1. fortissimi ac beatissimi Martyres] *Qui fuerint hi Martyres ad quos scribit hanc epistolam Cyprianus, insinuat infra Epistola xxij, ad Clerum Romanum, nempe Saturninus, Asteius, Lucianus, & alij quidam.*

2. cum vos ad me litteras direxeritis] *Facit hanc litterarum mentionem epistolis præcedenti & sequenti, & præsertim epistola ad Florentium Pupianum. Quæ si extarent, licet ex illis colligere, quæ forma esset fuerint in libellis suis quibus pacem lapsi dabant. Exstat quidem similis argumenti Epistola infra xxij, sed non satisfaciunt, & nimis temerarie à Luciano Martyrum nomine conscripta est.*

3. & quibusdā lapsi pacem dari] *Huius consuetudinis quæ tum lapsi pacem à martyribus postulabant, tum ad preces illorum à Martyribus dabatur, meminit etiam Tertullianus his verbis libro ad Martyres: Pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo tam etiam properes in vobis habere & seruire & custodire debetis, ut si forte & aliis prestare possitis. Porro pax hæc non aliud videtur fuisse quam relaxatio satisfactionis per Episcopum penitentibus impositæ, atque ad ecclesiæ communionem, ante exemplum præscriptæ penitentia tempus admisso.*

Atque adeo qui pacem hanc indulgentiam à Martyribus penitus considerant, mirum mihi hinc potius confirmationem indulgentiarum ecclesiasticarum petendam censcat, quam recentiorum illarum usum ad tempora primum referat D. Gregorius. Quin potius alius adhuc repetendam censet indulgentiarum originem. Nam quid aliud D. Paulus, dum Corinthio illi inest uo ad preces sanctorum instam satisfactionis penam mitigat, adeoque aliquid condonat, quid aliud (inquam) quam indulgentia quanda concedit? Cui autem (inquit i. Cor. 2.) aliquid donasti? Ego. Nā & ego quod donavi propter vos in persona Christi. Id enim imitatus (si quid Theodoretus creditur) Corinthios, per beatos viros Theonorem & Titum, pro eo qui peccarat, rogasse. Cui similiter Theophylactus: Vt enim (inquit) ille non existimet sibi remissam noxam, qui satis confusus sit, & sufficienter penitentia ductus, ostendit Paulus tantum hunc Corinthiū penitendo, quantum horum gratia & donatione veniam accipere posse. Quo loco adnotanda venit vox venia siue dimissionis ut alijs verum, imo & vox Græcæ ἀφ' ἧς ἡ χάρις quæ condonare culpam significat, atque adeo non aliud mihi videtur quam indulgentia: Si hanc scripturam adiciatur etiam illud Collof. i. Adimpleo ea quæ desunt passionis Christi in carne mea pro corpore eius, non videbitur absurdum quod de thesauro Indulgentiarum & meritis non Christi modo, sed & sanctorum tradunt recentiores.

4. Ea enim concedere quæ in perniciem veniant, decipere est.] *Cyprianus hic non vsum sed abusum potius notat, & formam litterarum præpositarum. Nam quid de potestate martyrum in danda pace sentiat, non obicere significat epistola infra 14. ubi facit: qui libellum à*

Martyribus, acceperunt auxilio eorum apud Dominum adiuvari in delictis suis posse. Quod vero reprehendat Cyprianus, ut semel dicam, ex Epistola hac, præcedenti & sequenti, aliquid colligere est. Ut enim quod cum martyres daret ad se literis petissent prius desideria sua examinari à Cypriano tanquam Episcopo, & tum demum pacem dari, cum ecclesia pacem accepisset: Presbyteri siue importunitate precum, siue precio conducti, ante litteras Episcopo communicatas, ante pacem ecclesie, ante reditum Episcopi, ante ipsum pene excessum martyrum, ante exomologesin factam, ante manus ab Episcopo impostam, pacem dabant. E quibus verbis patet, requisitam etiam tum exomologesin & manus impositionem: atque adeo observatum iam tum eundem indulgentiarum modum, qui hodie præterquam, quod per episcopos fiebat, quod nunc fere solus facit Romanus Pontifex: & quod Episcopo fiebat illa exomologesis, aut presbyteris ab Episcopo ad eam rem deputatis, quæ hodie committitur cuius sacerdoti, quem placuerit eligere.

5. expectant. Ante à Domino pacem prior mater sumat. Sic restitutus mihi osus fuit hic locus ex varia cod. lectione. Excusi enim & Cam. habebant. Ante est vt à Domino, Afflig. & Dun. expectantes vt à domino, Manut. vero: Ante domini pacem.

6. considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint. Hinc patet non etate duntaxat Cyprianum, sed iam ante existatam fuisse hanc pacem Martyrum. Monet autem Martyres, vt non facile cuius illam indulgentiam, sed prius causæ & sollicitæ (ita enim legunt Ms. codices) paternum desideria ponderent, merita quoque singulorum, & delictorum genera cogitent. Nō igitur prædit illis dictam potestatem lapsis pacem concedendi, sed modū potius præscribit, quem vt rite seruauerit, ante dixit: in more fuisse, vt Diaconi in carcerem committentes martyrum desideria suis consiliis gubernarent.

7. & vt in nobis Domini mandata illud in nobis prætermisum à Manut. rursus in locum suum restituitur, præsertim cum Cambr. codex id habeat. Sic etiam illud: ne facile tribuantur, est omisum à Manut. & Afflig. Dun. & Cauchy codicibus: quia hic loco non male quædrat, & in Cambronsi codice legitur, reponere in locum suum maluit.

8. comprimentes eos, qui personas accipientes in beneficiis vestris, aut gratificantur, aut illicite negotiationis nundinas aucupantur. Ita recte emendatus est hic locus à Manut. & Morelio, antea vix intellectus, Pro negotiationis, legunt Afflig. Dun. & Cauchy codices contagionis, non male.

9. de hoc ad Clerum & ad Plebem litteras fieri. Harum illa prædicta hæc subsequuntur.

10. Audio enim quibusdam sic libellos fieri. Lectionem hanc veterem quam habebant veteres excusi, & Ms. Afflig. & Dun. restituerunt hoc loco Manutius & Morel. solus Cambr. habet vt reliqui excusi: quosdam sic libello inferi. Porro reprehendit hic illos martyrum libellos, quibus nominatim non designantur illi quibus pax indulgebatur. Vult autē vt id posthac fiat, vtque illos dumtaxat pax dignos existiment, quorum penitentia iam satis actionis proxima est.

11. vt incerta & cæca petio. Hanc Manutius & Morel. lectionem veterem excusum. Habebant veteres excusi quemadmodum & Ms. Afflig. & Dun. incerta & cæca. Erat repositus: cæca petio, quomodo & Cambr. codex.

AD PLEBEM DE RESCRIPTO MARTYRUM AC IIS QUI PACEM PETEBANT.

EPISTOLA XII.

Argumentum huius quoque Epistolæ habet sæpe dicta epistol. xv. Plebi quoque (inquit) ipsi, quantum potuimus, animimum composuimus, & vt in ecclesiæ disciplina seruarentur, instruimus.

CYPRIANVS FRATRIBVS IN PLEBE CONSISTENTIBVS S.

Lib. 3. ep. 16. 2. Cor. 11. 1. Cor. 12. **I**ngemiscere vos & dolere ruinas fratrum nostrorum, lex meo. 1. fratres carissimi qui & ipse vobiscum pro singulis ingemisco pariter & doleo; & patior, ac sentio, quod beatus Apostolus dixit: Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Et iterū posuit in Epistola sua dicens: Si patitur membrum vnum, compatiuntur & cætera membra, & silatur membrum vnum, colletantur & cætera membra. Compatior ego & condoleo de fratribus nostris, qui lapsi & persecutionis infestatione prostrati, partem nostrorum viscerum secum trahentes, 2. acrem dolorem nobis suis vulneribus intulerunt: quibus potens est diuina misericordia medelam dare: 3. propterandum tamen non puto, nec incaute aliquid & festinanter gerendum; ne, dum temere pax vsurpatur, diuinæ indignationis offensā grauius prouocetur. Fecerunt ad nos de quibusdam beati martyres

litteras petentes examinari desideria sua, cum pace nobis omnibus à domino prius data, ad Ecclesiam regredi cæperimus, tunc examinabuntur singula præsentibus & iudicantibus vobis. 4. Audio tamen quosdam de presbyteris nec Evangelij memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorē sacerdotij sui & cathedræ referuantes, iam cum lapsis communicare cæpisse, & offerre pro illis, & eucharistiā dare, quando oporteat ad hæc per ordinem peruenire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in dominum committuntur, penitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita eius, qui agit penitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & clero manus fuerit imposita, quando magis in his grauissimis & extremis delictis caute omnia & moderate secundum disciplinam Domini obseruari oportet? 5. Quod quidem nostros presbyteri & diaconi monere debuerant; vt commendatas sibi oues fouerent, & diuino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruerent. Ego plebis nostræ & quietem noui pariter & timorem, qui in satisfactione Dei & deprecatione vigilarent, 6. nisi illos quidam de presbyteris, gratificantes decepissent. Vel vos itaque singulos regite, & consilio ac moderatione vestra & secundum diuinæ præcepta lapsum animos temperate: 7. nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpit; nemo naucem suam quassatam & peruoratam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in altum denovo committat, nemo tunicam icsam accipere & induere properet, nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & à fullone curatam receperit. Audiant quæso patienter consilium nostrum, expectent regressionem nostram, vt cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, 8. conuocati coepiscopi plures, secundum Domini disciplinam & confessorum præsentiam, 9. beatorum martyrum litteras, & desideria examinare possimus. 10. De hoc & ad Clerum, & ad martyres, & confessores litteras feci, quas vtrasque legi vobis mandavi. Opto vos fratres carissimi ac desideratissimi in Domino semp. bene valere, & nostri meminisse. Valet.

ADNOTATIONES IN EPIST. XII.

1. Fratres charissimi, qui & ipse vobiscum pro singulis ingemisco. Hæc verba desiderabatur in excusis & Ms. omnibus quæ videre licuit, adiecta sunt autem à Manutio & Morelio & recte. Nam locus aliqui erat mutilus.

2. acrem dolorem. Sic Ms. Afflig. & Dun. ac excusi omnes. excepto Manut. qui reposuit: pacem, paulo post autem n. in male Manutius.

3. propterandum tamen non puto, nec incaute aliquid. Pro eo quod erat prius: dum tamen non putent, propter nec incaute, quomodo tamen legunt etiam Ms. codices, Manutio etiam acceptam debemus vocem: tunc, quæ paulo post interijciunt.

4. Audio tamen quosdam de presbyteris &c. Eisdem pene verbis vultur, quibus supra Epist. x. Pro eo autem quod plerique codices habent: peruenire, habent Ms. cod. Afflig. & Dun. & vetus quoque excusis: perueniri, non male.

5. Quod quidem nostros. Hanc lectionem nos primi restitimus ex cod. Afflig. & Dun. & Cauchy.

6. nisi illos quidam de presbyteris. Mutauerant hanc lectionem Manut. & Morel. legentes: præpositi, verum non recte quoniam confect ex epist. duabus præsentibus loqui Cypri. de Presbyteris, præpositi vero nomen solis Episcopis tribuatur à Cypriano, vt adnotatur in ep. 3. & 4.

7. Nemo adhuc importuno tempore. Elegantes Metaphoræ, quibus docet à simili persecutionis tempore, lapsis pacem dandam non esse.

8. conuocati coepiscopi plures. Hanc lectionem Ms. & excusorum codicum omnium retinere malui, quam reponere nouam Manut. aut Morel. quorum ille: conuocatis episcopis pluribus, hic: conuocatis episcopis plures. Præsertim quoniam Phrases similes reperire est in Cypri. frequentissimi, quemadmodum epist. post hanc secunda vt Episcopi in vnum conuenientes &c. possumus & ep. xxv. & cum præpositi plures conuenire in vnum ceperimus.

9. & vestram quoque sententiam. Sic Manut. & Morel. sed Ms. codicum, quos vidi, nullus id legit. Neque vero vsuam apud Cypri. tantum auctoritatis plebi tributum reperio, vt sententiam illi dicere permittat. Quare prætermittere malui, quam alicui erroris occasionem dare.

10. De hoc ad clerum & ad martyres & confessores. Hanc veterem lectionem habeo ex codice Afflig. neque enim ad martyres & ad confessores duæ diuersæ sunt Epistolæ, sed vna ad utroque. fecerunt autem hæc verba, vt ordinem epistolary harum trium retinuerim, qui ante erat in excusis codicibus; quamquam tamen vere similis fiat, aut prius, aut saltem vna, missam epistolam ad Martyres.

AD